

N. 56

L. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE

DENTIBVS  
SAPIENTIAE

EORVNDIQVE MORBIS

QVAM

*PRAESIDE*

D. MART. GOTTHELFF  
LOESCHERO

PHYS. PROF. PVBL. ORDINAR. MED. EXTRAORD.  
EIVSDEMQUE FACVLTAT. ASSESS.  
NEC NON SERENISS. DVC. SAXO-VINAR.  
PHYS. PROVINCIALI

*PRO LICENTIA*

SVMMOS IN MEDICINA HONORES  
RITE IMPETRANDI  
PVBLICE DEFENDET

IOHANN CHRISTIAN SCHVWARDT  
LVCCA LVSATVS

*AD D. XII. IVLII A. R. S. MDCCXXIIX.*

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE, APVD VIDVAM GERDESIAM.

Anat.

B.

23650





128

DIPLOMA

DEMENTIUS

SAPPHIRE

ROYAL

D. MARTINUS

LOESCHER

STAMM

ROBANN





I. N. I.

DISSERTATIO SOLENNIS  
DE  
DENTIBVS  
SAPIENTIAE  
EORVNDIQVE MORBIS.

---

I.



Nulla propemodum pars in toto corpore humano reperitur, quae licet primo intuitu non adeo magni momenti esse uideatur, nihilo secius tamen nobis multa possit exhibere argumenta, nos suo quodam iure in admirationem sui abripiantia. In huius rei documentum licebit adducere dentes, quos quidam pro partibus humani corporis habere equidem noluerunt, qui tamen utilitatem suam in masticatione ciborum, eorumque praeparatione & deglutitione,

A 2

uocis



uocis & loquelae formatione, & pulchritudine ori hominis concilianda satis praeclare ac eleganter praestant. Multa uero circa eosdem occurrere notatu dignissima, nemo nisi hospes in Arte salutari facile negabit. Nam mirabilis eorundem post natiuitatem hominis generatio, & in pueris aequae ac puellis regeneratio, quae aliquando in adultis & senibus quoque contingit, nec non substantia, elegans figurae uariatio, & cum maxilla utraque coniunctio & inarticulatio, si rite attentiori animo expenditur, certe unicuique meditationis & ulterioris inuestigationis ansam pariter ac occasionem prolixissimam suppeditabit. Inter alia memorabilia etiam occurrit multiplex dentium denominatio, quae maximam partem ab eorum desumitur officio, aliquando uero etiam ab aliis circumstantiis, scilicet figura, connexionione cum aliis partibus, & modo ac tempore generationis. Exinde appellarunt Medici alios dentes incisores, alios caninos uel oculares, molares alios, & iterum alios genuinos uel sapientiae dentes. Non opus esse arbitramur rationem denominationis uariae dentium uariam hic commemorare, quoniam ex scriptis Anatomicis satis constat, potius sapientiae dentes ob nomen excellens considerabimus, atque eo ipso dum in naturam, indolem, conditionemque eorundem inquirere est animus, tria uerba quoque addere uolumus de eorum statu praeter naturali & morbofo.

## II.

**D**entes uero sapientiae sequentem in modum describuntur ab Anatomicis. LEONHARDVS FVCHSIVS,



SIVS, qui notabilem adhuc affert dentium speciem, quam dentium γελασινῶν nomine appellat, quoniam inter ridendum nudentur ac detegantur, de dentibus sapientiae sequentia posteritati reliquit. Nempe postquam de variis dentium differentiis exposuit, ita pergit: hanc differentiam potissimum pariunt dentes, quos quia sero gigni solent, omniumque ultimi & nouissimi sunt, genuinos nominarunt. Hi omnium sunt reconditissimi, ac propemodum gingivis operti. Hinc illi qui clanculum obtreſtant, lacerantque, Genuino mordere, aut genuinum infigere dicuntur. Post pubertatem, Venerisque usum hominibus, ac maximis cum cruciatibus emergunt. Vel ut Aristoteles Libro secundo de historia animalium, capite quarto, & Libro quinto de generatione animalium capite ultimo, ac Plinius libro undecimo capite trigesimo septimo, auctores sunt, circa uigesimum annum, multis etiam octogesimo anno, non sine maximo dolore, ut dictum est, prodeunt. Quocirca Graecis σωφρονισήρες, quod scilicet eo tempore, quo sapere solemus, producantur, ut libro secundo Iulius Pollux testis est, & ὀψιγόνοι hoc est serotini, & νεατήρες, quasi aetatem perficientes, ac complentes appellantur. Vulgo dentes sensus & sapientiae dicuntur, uid. eiusdem *Epitome de humani corporis fabrica*, quod Lugduni prodiit, & suo tempore in magno erat pretio, Parte I. p. 68. Deinde ADRIANVS SPIGELIVS *de humani corporis fabrica* de Dentibus sapientiae sequentia memoriae prodidit: Non tamen omni aetate omnes adsunt dentes; ut plurimum quidem quatuor illi caninis proximi, & iuniores adsunt: at

A 3

ultimi



ultimi duo, adultioribus solum, unde & σωφρονισή-  
 ρες Hippocrati dicti, quod non erumpant prius, at-  
 que homo sapientiae studio idoneus euaserit, Latinis  
 propterea sapientiae dentes nuncupati: aliis ut uul-  
 go, Genuini dicti. Atque hi in causa sunt, ut inter  
 se authores uariant, in numero dentibus assignando,  
 aliusque alio, plures, uel pauciores, enumeret. Mo-  
 do enim uidere liceat in hoc latere quatuor, in alio  
 quinque; modo in superiore maxilla omnes adesse,  
 modo in inferiore quosdam deficere. Figuram ha-  
 bent a caeteris paululum discrepantem, cum enim  
 illi acuti sint, hi latam habent superficiem & inae-  
 qualem, quatuor auctis eminentiis exasperatam, quas  
 inter foueola quaedam occurrit, ab ipsarum concur-  
 su enata. Quare & pars extra gingiuas producta,  
 non uelut reliquorum acuta, sed quadrata est, quae  
 perfectior in tribus posterioribus, adeo ut hac causa  
 a Ruffo Ephesio *τραπέζου* & mensae appellentur,  
 quas non ineleganter uidentur exprimere, tum lata  
 hac superficie, tum triplici radice, cui haec incumbit,  
 cum & nostrae mensae cuidam radici semper inster-  
 nantur. Radices autem non simplices habent, ut re-  
 liqui iam enarrati, sed plures, in quarum numero quae-  
 dam occurrit discrepantia, tum ratione maxillae, tum  
 etiam dentium inter se. Et inter se quidem, cum  
 proximi caninis, habeant pauciores; plures, tres po-  
 steriores: at ratione maxillae, cum duo superioris  
 malae caninis proximi communiter binis, reliqui ex-  
 tremi ternis radicibus affigantur, at inferioris maxillae  
 illi singulas habeant, hi binas. Porro ANDREAS  
 LAVRENTIVS, quondam Regis Galliarum Consilia-  
 rius



rius & Medicus ordinarius, eiusdemque in Monspe-  
 liensi Academia Professor *Historia Anatomica* de sapi-  
 entiae dentibus sequenti loquitur modo : Molarium  
 autem posteriores ab Hippocrate libello *περὶ ἀρχῶν,*  
*σωφρονισήρες* id est dentes sapientiae uocantur, quod  
 trigesimo aetatis anno, & quarto septenario erumpant;  
 quo tempore *σωφρονεῖν*, id est sapere incipimus. A-  
 uicenna dentes sensus & intellectus nominat. Aristo-  
 teles uero *κραντήρες ἀπὸ τῆς κραινεῖν ἢ ἀπὸ τῆς πλη-  
 ρῆν τὴν ἡλικίαν*, quod aetatem perficiant comple-  
 antque, Latini genuinos dicunt. Adducimus quarto  
 LUDOVICVM DV GARDIN Med. Doct. & Professo-  
 rem Regium Ordinar. in Vniuersitate Duacensi; de  
 dentibus sapientiae ita docentem : Et adsunt insu-  
 per quandoque duo dentes Genuini siue sapientiae  
 uel Sophronisteres, unus a dextris extremus, alter a  
 sinistris. Hi dentes ideo Dentes Sapientiae nomi-  
 nantur, quod ordinarie tunc demum adueniant, quan-  
 do Hominem decet esse sapientem, uidelicet circa an-  
 num aetatis 18. & 20. uid. eiusdem *Institutiones Medici-  
 nae* Duaci editae. Ex recentioribus THEODORVS  
 KERCKRINGIUS *Osteogenia foetuum, Cap. 10.* circa den-  
 tes sapientiae notat, non dicendum esse, quod in foe-  
 tu non omnes omnium dentium alueoli sint efforma-  
 ti, cum in adultis adhuc post tot annos succrescant,  
 quos uocant sapientiae dentes, qui antea non erant  
 inchoati. Similia cum hisce in medium profert  
 PHILIPPVS VERHEYN *Anatomia humani corporis* ita  
 inquit : Duo extremi magisque laterales, in ali-  
 quibus delitescunt usque ad annum trigessimum aut  
 ultra, eaque de causa dentes sapientiae & aliquibus  
 genuini



genuini appellari solent. In nonnullis tamen licet ad magnam senectutem peruenientibus, nunquam erumpunt; at semper in suis alueolis latitant. Et paulo post sequentia addit: aliquando etiam dens sapientiae in una tantum parte erumpit, atque ita numerus utriusque lateris in eadem maxilla impar efficitur.

### III.

**A**tque haec sunt, quae de dentibus sapientiae ex scriptis Anatomicorum antiquiorum aequae ac recentiorum proponere debebamus. Noli tamen L. B. plagii nos accusare, opus enim erat, testimoniis ex auctoribus fide dignis demonstrare atque confirmare, reuera Anatomicos dentes sapientiae statuere & ita appellare; nec non quales illi sint dentes, qui ita nominantur. Poterit itaque ex haecenus adductis facile apparere, sapientiae dentes ad posteriores & molares pertinere, serius erumpere, aliquando plane non, aliquando uero duplices, triplicesque apparere. Vnde sapientiae dentes appellentur quoque dictum est, nolumus tamen cum quibusdam tempus quo homo ad sapientiam perueniat, uel ex aetate, uel ex horum dentium eruptione certo certius determinare.

### IV.

**O**ccurrunt uero circa omnes dentes in genere, quaestiones & obseruationes curiosae, hic ne utquam ubi de dentium quadam specie agimus, praetermittendae. Sunt enim, qui dentes pro ossibus & partibus



partibus corporis humani genuinis habere nolunt, ideo, quoniam non cum homine nascerentur, sed post eius natiuitatem demum ex maxillis excrescerent, elapsi & erupti denuo succrescerent, perioftioque carerent, contra naturam reliquarum partium corporis humani & in specie offium, utpote quae perioftio ob multas causas non possent carere, neque destructa penitus a natura in totum, in eademque substantia & figura restituerentur, consulatur hac de re ORTLOBII *Dissertat. Physiolog. IV.* Videbimus uero quanti allatae rationes sint ponderis aequae ac roboris. Namque licet uulgus Anatomicorum statuat, dentes aliquod tempus post hominis natiuitatem erumpere, adeoque ad partes eiusdem, originarias neutiquam spectare; nihilo secius tamen docet quotidiana experientia, aliquando embryones dentibus quibusdam instructos in lucem fuisse editos, id quod THEODORVS KERCKRINGIUS *l. c.* ex propria obseruatione confirmat. Accedit quod recentior Anatomia praeunte Rauio etiam in foetu femina dentium non tantummodo eorum, qui cum homine nascuntur, uerum etiam eorum, quos in omni sua uita generat, ablatis gingiuis possit demonstrare. Namque ostendit in infante recens nato, quinquaginta duo dentium stamina, ita ut uiginti priores in duplo reperiantur, praeter triginta duos dentes ordinarios. Atque hoc a natura ita uidetur esse ordinatum, ut octo incisores, quatuor canini, & octo molares, circa quintum, sextum, septimum uel decimum annum cadentes, ex iisdem iterum restitui queant. Debere uero hos necessario decidere, quoniam

B

niam



niam durior illorum ac solidior substantia, non tam cito explicari, extendique possit, quam alueolorum maxillae, quapropter latius ampliati, dentes hosce non amplius complecterentur, & retinerent, sed de improviso ipsis, ex eorum finibus exitum casumque permittant, uid. ANONYMI *Relatio Itineris sui Anglicani & Bataui*. Neque haec dentium cum ipso foetu productio antiquiores latuit. Excitare propterea nobis licebit REALDVM COLVMBVM in Gymnasio Romano quondam Anatomicum Celeberrimum, in cuius Libro *de Re Anatomica*, elegans hac de re extat obseruatio sequens. Quod autem ad dentium generationem attinet; scio non paucos putare eos tunc gigni, cum ex gingiuis prodeunt, qui manifeste errant. Nam dentes in ipso Matris Utero efformari, certo comperi, sicuti ego per saepe ostendi magna adstantium admiratione, dum ex demortuorum infantium in matris aluo gingiuis ex suis alueolis per exiguos dentes eruerim. Idem in nuper natis quod in extractis ex utero, atque etiam in abortibus, septem & octo mensium explorare mihi licuit. Ea autem diligentia rem hanc perquisiui, quod de his plerique, ne uerbum quidem, re nondum illis fortasse cognita, aut perquisita. Ex his iam obseruatis etiam relinquatur, dentes neutiquam de nouo, in ita dicta regeneratione & renouatione dentium instar unguium in manibus & pedibus crescere, sed in suis seminibus iam in Embryone latere, quousque data occasione antecedentes, ab insequentibus adhuc latentibus propellantur, qui in ipsorum locum succedant. De reliquo ipsa dentium substantia manifestare uidetur, eosdem  
ad



ad ossium genus pertinere. Eandem uero duplicem afferit LAURENTIVS HEISTERVS *Compendio Anatomico* lapideam nempe & medullarem, ipsisque Periostium tribuit; a quo tamen dissentit FREDERICVS RVYSCHIVS *Thes. Anat. I. & II.* ubi ostendit curiosis spectatoribus, portionem maxillae inferioris ex infante in qua luculenter uideri potest, dentes pueriles ante indurationem osseam, aut lapideam, colore & substantia constare diuersa; exterior enim albicat, sequens coloris est cartilaginei, tertia & intima, quae caeteras copia superat, mollis & plurimis uasis sanguineis praedita. Thesauro in specie primo demonstrat unum ex dentibus incisoriis, secundum longitudinem dissectum, idque etiam in maxilla inferiore; in eo triplex substantia obseruari potest, extima enim colore est albicante, media grysea, tertia uero colore dilutiore gryseo gaudet. Ibidem quoque membranam dentium substantiam inuestientem, magna ex parte illibatam ob oculos ponit.

## V.

Tempus quo dentes erumpunt, & quemadmodum uulgo creditur generantur, & crescunt adeo accurate determinare non possumus. Vt enim ex Thefi antecedenti est manifestum, semina seu potius stamina eorum iam tum in Embryone latent, & a diligentioribus inuestigatoribus in alueolis utriusque maxillae inueniuntur. Discimus hoc ex THEODORI KERCKRINGII *Osteogenia foetuum* antea citata, nec non eiusdem Obseruationibus, ibidem enim certiores



tiores reddit curiosos tantam in efformandis dentibus naturam ludere uarietatem, ut si minutias persequi uelimus, nullus futurus sit finis. Nam omnes foetus dentibus carere, eoque differre ab adultis non magis dicendum esse arbitratur, quam eosdem neque magnitudine cum uiris posse certare, & quod nihilominus dentati quidam nascantur, experientiam confirmare, & aliquando ante natiuitatem in foetu dentes repertos fuisse propria confirmat experientia. Tam rarum fuisse refert *Observat. XXIV.* apud Romanos, infantes recens natos habuisse dentes, ut nomine proprio rem fecerint omnibus memorabilem, dentatos appellando, qui insolito mortalibus ceteris more dentibus praediti in lucem ederentur. Oblatus tamen est ipsi quinque mensium foetus, in quo dentes bini incisores maxillae inferioris, adeo natiuitatis tempus non expectauerant, ut uel tum erupissent, & sese conspiciendos clare praberent, nec in maxilla tantum inferiore apparuit praecox haec naturae sese armantis maturitas, alias quoque maxillae superioris incisores in foetu enatos uidit; Contigit etiam ipsi, pueri sanguine coniuncti natiuitatem obseruare, qui pluribus instructus erat dentibus, antequam uitae hanc palaestram, tot iniuriis exponendus, nascendo ingrederetur. Maluit tamen parens hoc filii sui prae aliis hominibus priuilegium latere, dum tacitus fortunam eius contempletur ac consideret, num quicquam ea res uel boni uel mali ominis allatura sit in uita filii sui. Qualem euentum haec res habuerit, non addit KERCKRINGIUS, neque nostrarum esse partium esse iudicamus, an haec res  
cru-



crudelitatis uti uulgo opinantur & tyrannidis fuerit indicium pronuntiare, utpote qui eiusmodi praesagia in medio relinquimus. Maxime uero notabilis est hoc loco obseruatio, de dentibus in ouario repertis, quam apud FREDERICVM RVYSCHIVM *Th. Anat. I.* relatam legimus. Iste enim dissecuit cadauer feminae uiginti & quatuor circiter annorum, quae morbo grauiori laborauerat, & conuicta erat de dolore in hypogastrio, non sine praecordiorum anxietate & feбри continua, atque tandem fato concessit. Aperto post mortem cadauere, a latere Vteri sinistro durtiem quandam percepit, quam cultro Anatomico eximebat, deinde eandem caute aperiebat, inueniebatque in eadem dentem latitare molarem; qua occasione etiam refert, se alio in cadauere, inuenisse quoque in Ouario dentes caninos rite & naturaliter formatos. Quo pacto denique dentes naturaliter prorumpant, nostra equidem commemoratione non indigere uidetur, quoniam etiam mulierculis constat, primo prodire incisores, quos canini & molares tempore non aequali, sed sese saepius ad aliquot annos extendente sequuntur, inter quos sapientiae dentes, uti supra obseruauimus, saepius etiam adultos, ipsosque senes difficillima eruptione diuexant. Praeterea infantibus plerumque circa mensem sextum dentes prorumpunt, aliquando citius, aliquando tardius, cuius rei causam CHRISTIANVS IOHANNES LANGIVS, putat esse conditionem nutrimenti siue lactis materni uariam. Si enim istud terreis impuritatibus abundet citius illam eruptionem contingere, quam si lac tenuius fuerit, hinc infantes, qui uescun-



tur pulmentis citius dentes accipere. Meminit in huius rei meliorem confirmationem puellae cuiusdam matre defuncta, cremore ptisanæ nutritæ, quæ statim undecima post partum septimana omnes dentes acceperit, uid. eiusdem *Opera Medica Theoretica Practica Part. II.*

## VI.

**N**otatu porro summopere dignum est, quod dentes primum enati, in homine, non per totum eiusdem uitæ decursum sint durabiles, sed circa annum sextum & septimum & quod excurrit decidant, nouique denuo eorum in locum dicto tempore quasi succrescant. Hanc naturæ operationem unguo dentium regenerationem siue renouationem appellare solent, sed absque fundamento. Nam uti supra obseruauimus stamina dentium prima & secunda uice erumpentium iam in alueolis latent, & successiue prorumpunt, adeoque dentes primi neque de nouo generantur, neque quoque quoniam manifesto decidunt, renouantur. Hanc recentiorum opinionem iam suo tempore nouit CONSTANTINVS VAROLIVS Philosophus ac Medicus Bononiensis, *Anatomia* simul addens rationem, cur dentes in puerulis latitent & non statim prorumpant post natiuitatem, dum statuit dentes a primis incunabulis in homine extra gingiuas non profilire, tum quia papillam nutriticis nimium contudissent, ac perforassent; tum quia ubi futura essent ossa durissima & sensu acuto prædita, non potuerunt in utero tam breui temporis spatio absolui:

ui:



ui: imo ad eorum integram perfectionem requirunt, tempus sex aut septem annorum. Igitur cum non conueniret naturae infantis, tamdiu lacte frui, sed post unum annum, aut circiter, id tempus solidiore egeret alimento, propterea dum in utero alias partes conformat, simul ac etiam intra maxillas, quasdam appendices osseas, easdemque acutissimis mucronibus praeditas fabrefacit, ita ut in regione molarium sint ueluti coronae regales osseae. Quae quidem appendices, ut puer ante perfectionem dentium posset iisdem ad incidenda & atterenda cibaria commode abuti, dum dentes suppositi augentur, ad gingiuas propelluntur, suisque apicibus perforant: unde maximus puerulis dolor impertitur, & extra gingiuas apparentes, per multos menses & annos uicem dentium gerunt. Qui, ubi dentes ad complementum proueniunt, e maxillis profiliunt, & cum ambitu gingiuarum non amplius contineantur, per se ipsi decidunt. Ex recentioribus idem sentit PHILIPPVS VERHEYEN l. c. Circa annum septimum, ait, quandoque citius, primi dentes excidunt, succedentibus aliis, qui similiter uti praecedentes, usque ad tempus apparitionis in suis alueolis latitarunt, ac proinde tanto diutius, quo erumpunt serius. Videntur autem priores cadere, tum quia ab aliis protruduntur; tum quia ad soliditatem minus expandi ualent, quam alueoli ampliantur, eaque ratione uacillantes sunt, minusque firmi. Vnde credibile est, sequentes dentes crassiores esse, ut scilicet exactius repleant dictos alueolos, ex quibus ante ob crassitiem commode emergere non potuissent. Contingit interim nonnunquam,

quam,



quam, primos dentes esse firmiores, quam ut uel sponte cadant, uel ab aliis superuenientibus extrudi possint: quo casu posteriores extra ordinem quasi per nouos alueolos prodeunt, superiores ut plurimum extrorsum, inferiores saepe introrsum, ac si noua fuerit dentium series, quae alias in qualibet maxilla solet esse unica. In tali autem casu numerus dentium etiam facile excedit ordinarium. Dentes quoque fere ad extremum senium crescere opinatur, alioquin ob frequentem masticationem cito forent contriti: unde aliquo dente elapso, ille, qui in altera maxilla eidem correspondebat, intra breue tempus factus longior, ultra caeteros dentes eminent. De reliquo licet multa apud Anatomicos extent de usu dentium, a nemine tamen memini istum fuisse clarius & distinctius & generalem, & in singula dentium specie, specialem fuisse expositum, quam ab Illustri DN. DE BERGER Archiatro & Consiliario Regio Celeberrimo de *Natura Humana*. Nam grauius hac de re ibidem pronuntiat duritiem & maiorem esse & asperiores in dentibus, quam in ossibus ceteris, ut pistillorum instar, & lapidum molarium diuidendis cibis, pabuloque sufficerent. In specie eorum alios ad incisionem ciborum factos esse promptos & paratos, & propterea in priore oris parte locatos, acutosque, nec scalpellis incisoriis absimiles. Alios his utrinque adiungi, atterendis cibis utiles, hos Deus ideo fecisse rotundos, & rotunde acutos, ut firmiter, maiusque foret eorum in opere robur, quorum similibus scalpellis lapicidae, marmora cotesque effringerent. Pluribus uero post hos molaribus,

ribus,



ribus ad comminuenda, molendaque cibaria uti hominem, atque eosdem ideo latiori capite & inaequaliter aspero a Deo esse armatos.

## VII.

**P**rogredimur ad morbos, quibus sapientiae dentes in specie sunt obnoxii. Quo loco primo omnium notanda est, dentitio difficilis siue eorum uel nimis fera, uel magno cum labore & dolore eruptio. Ex hoc morbo multos tenellos uitam cum morte commutare, cum febre, languore, pauore in somno ipsisque conuulsionibus, quotidiana loquitur experientia, cum tamen in ipsis adhuc ossa suam nondum acquisiuerint duritiem, uti in adultis & senibus, & omnes partes corporis adhuc sint molliores. Quapropter facile apparet, adhuc grauius difficili dentium proruptione laborare adultos, & omnium grauissime ipsos senes. Talem morbum grauissimum relatum legimus apud DANIELEM SENNERTVM *Medicinae Practicae Libro II.* Contigit ille matronae fere Septuagenariae Viduae, quae ante quadriennium, postquam scilicet climactericum magnum superasset, omnibus dentibus ab ortu primo amissis, coepit dolere caput & gingiuas tam atrociter, ut moritura putaretur, & prae doloris immanitate maniam metueret, eousque donec, elapsis aliquot diebus, dentes, perinde ut in aetate infantili fieri consueuit, protruderet, ac tum dolores mitigati fuerint, ipsaque melius habuerit & uixerit. Praesens morbus equidem in principio admodum difficulter cognoscitur, quoniam

C

solo



solo dolore, & quidem plerumque absque remissione & intermissione totali se manifestat, qui tamen etiam ex aliis causis potest proficisci, nimirum erosione, catarthis acrioribus, huc decumbentibus, uermiculisque in dentium cauo enatis. In progressu uero uti in infantibus tuberculum percipitur, sensim paulatimque sese eleuans, in loco, dentibus sapientiae proprio, quo disrupto, nouus dens apparet. Accedunt ante eiusdem eruptionem grauissima Symptomata, cruciatus scilicet saepius immanes, deliria, uigiliae, calor praeternaturalis, gingiuae inflammatio aliaque quae reperiuntur apud auctores. Ad curationem horum Symptomatum quod attinet, non diffitemur eadem dente enato, per se cessare, afflictum uero aegrotantem praecipue dolor fere intolerabilis per totum dentitionis difficilis tempus comitatur, & uim omnium remediorum respuere uidetur. Quapropter Medicus cautus eiusdem alleuationem suscipere, dentiumque tardiozem prouentum omnibus modis promouere debet. Commendamus hunc in finem quaedam uolatilia & expellentia temperata, nempe liquorem Cornu cerui succinatum, Essentiam Myrrhae & succini, quibus si febris adest quoque bezoardica temperata coniungimus, ex antimonio diaphoretico, Unicornu fossili, cinnabari natiua, aliaque appropriata. Externa ad emolliendas gingiuas ut citiorem transitum dentibus prodeuntibus concedant, suademus usum lactis tepidi, uel simplicis uel cum floribus chamoemeli & sambuci decocti, & aliquandiu in ore detenti. Applicamus etiam unguentum ad dentitionem difficilem DN. PRAESIDIS, quod simul  
leniter



leniter corrodit, nec non frustula lardi, & in specie ubi dolor magis urget misturam odontalgicam. Quidam recentiores non sine ratione suadent incisionem gingiuarum eo in loco, quo dentes prorumpere conantur, ita enim ipsis fores quasi aperiuntur, imprimis si, uti in adultis plerumque euenire solet, gingivae paulo duriores & solidiores deprehenduntur. Haemorrhagiam uero exinde productam, prudens medicus & chirurgus facile sedare poterit.

## IIX.

Porro dentes sapientiae summopere ad cariem & excauationem inclinant. Quoniam enim serius quam reliqui prorumpunt, eorundem duritiem & soliditatem rarius acquirunt, sed ut plurimum molliores & rariores in euulsione inueniuntur, imo quoque ea propter, saepius non integri sed abrupti & frustillatim eximuntur. Hanc ob causam saliuæ scorbutica acris & ad acidum uergens, uel sanguis in gingiua ita comparatus, uel reliquiae a cibis acidis, austeris, acrioribus, uel ipsa potulenta similem indolem possidentia, dentes molliores & rariores sapientiae uel solos, uel una cum aliis aggrediuntur, infestant & corrodunt, & consequenter cauum dentium cariosum producunt. Cognoscitur hoc malum ex foetore oris, macula primum exterius apparente & nigricante, & postea intimius serpente, totumque fere dentem cauum exhibente. Saepius frustula dentis carioli uel per se decidunt, uel scalpellis aliisque instrumentis hic usitatis, remoueri possunt.

C 2

Multa



Multa ut plurimum hoc in casu exterius medicamenta in usum uocantur, quae aliquando sunt proficua, aliquando etiam magis noxia. Inter alia egregia sunt oleum stillatitium caryophyllorum, origani, pyrethri radix, camphora cum praedictis oleis, spiritus cochleariae, mistura odontalgica DN. PRAESIDIS, Balsamum Odontalgicum Mynsichti, Tinctura Odontalgica Wedeliana, Liquor Mineralis Friderici Hoffmanni, qui interne datur ad guttas uiginti, & simul exterius uel cum gossypio, uel alio modo denti cauo accommodatur. A quibusdam quoque cera uel sola, uel aliis corporibus impraegnata, uel etiam lamina plumbea, cauo dentium intruditur, quo quidem remedio, collectio materiae peccantis in dentibus excauatis impeditur, si uero exesio dentium est profundior, dolor hoc pacto magis augetur, quam imminuitur, ob pressionem laminae plumbeae, radicem dentis neruosam prementis, & dulcedinem, oleositateque cerae dentibus cariosis inimicam. Chirurghi imo quoque Medici quidam temerarii admouent spiritum uitrioli, de quo uero sedulo notandum, eundem frequentius non esse usurpandum, alias enim dentes uicinos, aliasque partes adiacentes simul penetrat, corrodit, & in corporibus cachecticis multa eademque grauissima mala exinde proficiscuntur, uid. PETRVS DIONIS *Operationibus Chirurgicis* & LAURENTIVS HEISTERVS *Chirurgia*. Circumforanei lapidem conficiunt, ex nitro & alumine, cum aliqua portiuncula sulphuris, cuius frustulum denti imponunt, ad eliciendum sputum. In cavitatem quoque ~~axium~~, dentibus sapientiae adiacentem, infundunt  
aquam



aquam Reginae Hungaricae, uel aquam simplicem & puram, quae super unum uel alterum granum Moschi uel piperis debet ebullire. Nec negligimus admotionem uesicatoriorum, & scarificationem pone aures, & gingiuarum, & si necessitas requirit, dentem cauum oleo uitrioli usque ad radicem corrodimus, uel plane cauterio hunc in finem fabrefacto caute tangimus. In summo doloris gradu, Pilulas conficere Medicus suadere potest, ex radice pyrethri & laudano opiato. Nisi uero haec omnia auxilium quoddam afferunt, dentes carioli sunt euellendi, ad quam operationem peragendam eligatur chirurgus exercitatus, alias grauissima haec euulsio potest producere mala. Ad eam promouendam & facilitandam, applicentur denti cauo globuli ex gummi ammoniaco, uel galbano in lacte esulae dissoluto, per noctem circiter, & postea dentes absque ullo fere dolore eximi poterunt. SENNERTVS *l. c.* dicit facile cadere dentes, si cum aqua ex sale armoniaco destillata tanguntur, aut iuxta Galenum, si radix pyrethri quadraginta diebus in aceto macerata, & trita denti imponitur.

## IX.

Vltimo sapientiae dentes etiam sanguinem in magna & notabili satis copia profudisse, experientia licet rariori constat. Quae res praecipue si cum febre continua & maligna coniungitur portendit periculum, ita ut saepius cum sanguine per dentes animam profunderi necesse habeant aegrotantes. Critica enim eiusmodi haemorrhagia in febribus nunquam esse potest,



potest, quoniam loco contingit non opportuno, & ad hoc negotium apto. Sanguis quoque dentes perforans, malignam suam satis superque prodit acrimoniam. Neque praetereundum hoc loco quod SENNETVS *Praxi* ex Balduino Rouffeto & Hollerico posteritati reliquit. Namque BALDVINVS ROVSSETVS *libro de hominis primordiis & hystericis affectionibus* refert: Nos quod supra hominum fidem est, Furnis municipio Flandriae, mulierem nouimus, cui forte fortuna cum elisus esset dens molaris, soliti alioqui menses supprimerentur, natura noxium illum feculentumque sanguinem propellente, singulis mensibus ex elisi dentis vulnuscule sanguineus quidam gurgis, proportionem purgationi respondens efflueret. Scribit etiam HOLLERIVS *Comm. 2. in Sect. 2. lib. 2. aph. 18. Coacar. praedictionum* se uidisse e loculo dentis longo tempore sanguinem profluxisse, qui nullis remediis cessit, aegrumque tandem sustulit.

## X.

Habes igitur L. B. ea, quae de Dentibus Sapieniae eorundemque morbis festinante calamo inter concatenata negotia conscripsimus. Restant adhuc alii morbi dentium, nempe stupor, elongatio, algor, stridor, uacillatio, nigredo, imminutio &c. quos tamen studio praetermittimus, quia alias quoque afficiunt dentium species, & ex sera equidem horum dentium excretionem adeo originem trahere neutiquam uidentur.

SOLI DEO GLORIA.



NOBILISSIMO  
ATQVE PRAECLARISSIMO  
MEDICINAE CANDIDATO  
RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

**B**ene sapienterque disputas de Sapien-  
tiae Dentibus, eorundemque morbis,  
atque in Examine consueto nuper e-  
gregie respondisti, imo satisfecisti expectatio-  
ni totius Gratioli, qui in nostra Academia  
florebat Medicorum Ordinis. Id quod cum  
ingenti animi uoluptate recordor, atque non  
poss~~um~~





possum non, quin Tibi de his optimis Eru-  
ditionis Tuae speciminibus ex animo gratu-  
ler. Recipis hoc pacto amplissimos, uberrimos-  
que Tuae industriae singularis fructus, quam  
ego, per aliquot annos, quibus Scholis meis  
Medicis aequae ac Physicis indefesse interfui-  
sti, optimasque optimi ingenii Tui vires, &  
audiendo, interrogandoque, & opponendo,  
respondendoque in Exercitiis disputatoriis, in  
Academiis publicis adeo necessariis, semper  
percepi, atque omnibus bonis comprobavi.  
In praesenti nihil amplius est reliquum, quam  
ut Honoratissimo Tuo Parenti, de optima  
spei filio iterum iterumque gratuler, Tibi-  
que, Amice suavissime, omnia bona animi &  
corporis, & in specie praxin felicissimam &  
auream, cum omni animi in res Tuas pro-  
pensione apprecher. Ita Te Deus Ter Opti-  
mus Maximus seruet quam diutissime, con-  
cedatque ex alto ut Tibi omnia ex  
animi sententia eueniant.

F I N I S.

Amst B 206,50